

iste ternarius habet in se primam perfectionem; quoniam primus numerus est, qui constat ex omnibus partibus suis, scilicet unitate et dualitate, quae simul iunctae faciunt tria... Item summa perfectio est in eo, quia unitas, quae est principium et completio omnis numeri, reflexa supra se reduplicatio perfecta quadrata, qualis in solido quadrato triplicatur secundum rationem, remanens una secundum unitatem; ut si dicatur semel unum, semel... Similiter, si consideretur numerus iste in quantitate continua, habet in se primam perfectionem, et summam. Primam, quia omnis quantitas habet principium, medium, et ultimum. Summam, quia perfectio quantitatis continuae supra se consistit in trina dimensione, scilicet longitudine, latitudine, et altitudine; et hoc est, quod dicit Philosophus in principio *de coelo et mundo*. Omne enim perfectum in tribus dicimus, et hoc numero adhibuimus nosmetipsos magnificare Deum unum creatorem omnium, eminentem proprietatibus eorum, quae sunt creata. Similiter, si consideretur iste numerus in creatura, habet in se primam perfectionem, et summam. Primam, quia trinitatem vestigii contingit reperire in qualibet creatura, quantumcumque parva, quantumcumque minima. Perfectam, quia secundum trinitatem imaginis reformatam, et Dei formam attenditur summa et nobilissima perfectio creaturae, scilicet beatitudo<sup>1</sup> ».

## U

## DISTINCTIONES

I. UBI CIRCUMSCRIPTIVUM — UBI DEFINITIVUM<sup>2</sup>.

II. UNIO — COMPOSITIO. « Unio, ait s. Bonaventura, dicit compositionem duorum in tertio, sive constituuntur ad constitutionem tertii, sive non. Compositio vero dicit coniunctionem aliquorum, ita quod veniunt ad constitutionem tertii; et omne tale aliquo modo est materiale respectu alterius. Et ideo compositio semper dicit imperfectionem in componentibus, unio vero non ». Exinde

<sup>1</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. II, a. 1, q. 4 *resol.*

<sup>2</sup> *Vid. Circumscriptive — Definitive*, p. 64.

infert sanctus Doctor Naturam Divinam non posse alteri componi, sed posse alteri uniri<sup>1</sup>.

III. UNITAS QUANTITATIVA — TRANSCENDENTALIS. *Unitas transcendentalis*, vel *metaphysica est indivisio rei in se, et a quovis alio divisio*. Huiusmodi unum convertitur cum ente<sup>2</sup>; si enim ens in plura divideretur, non esset amplius ens, sed multa entia. « Unum, ad rem ait s. Thomas, non addit supra ens, nisi negationem divisionis, non quod significet ipsam indivisionem tantum, sed substantiam eius cum ipsa; est enim unum idem quod ens indivisum<sup>3</sup> ». Nempe unitas primario significat entitatem rei, secundo negationem divisionis. E. g., « unum dictum de homine significat naturam, vel substantiam hominis non divisam<sup>4</sup> ». Ex quibus patet unitatem transcendentalem opponi multitudini, per modum privationis ut indivisum divisio<sup>5</sup>; ubi enim est unum, non est multitudo; et ubi sunt multa, non est unum. Haec multitudo, cui opponitur unitas transcendentalis, dicitur numerus transcendentalis, qui quidem numerus non est aliquid distinctum ab ipsis entibus, sed consistit in ipsis entibus coniunctim sumptis: « Cum dicuntur res multae, multitudo sic accepta significat res illas cum indivisione circa unamquamque earum<sup>6</sup> ». Quare haec multitudo « nihil addit supra res multas, nisi distinctionem, quae in hoc attenditur, quod una earum non est alia; quod quidem non habent ex aliquo superaddito, sed ex propriis formis<sup>7</sup> ». Unde vocatur etiam multitudo intrinseca<sup>8</sup>. Unitas autem quantitativa est aliquid, quod oritur in quantitate ex unione partium ipsius; ita ut, ubi quantitatis partes invicem uniuntur, faciant unum; sin dividantur, faciant plures unitates, seu numerum quantitativum; siquidem hic « fit per divisionem continui<sup>9</sup> ». E. g., si partes baculi sunt unitae, est unitas in baculo; sin dividantur, oriuntur plures unitates<sup>10</sup>, et fit nu-

<sup>1</sup> *In lib. III Sent.*, Dist. I, a. 1, q. I *ad arg.*

<sup>2</sup> « Nihil est esse, quam unum esse »; s. Aug., *De mor. Manich.*, lib. II, c. 6, n. 8.

<sup>3</sup> I, q. XI, a. 1 c., et *Qq. disp.*, de *Pot.*, q. IX, a. 7 c.

<sup>4</sup> I, q. XXX, a. 3 c.—<sup>5</sup> I, q. XI, a. 2 c.

<sup>6</sup> I, q. XXX, a. 3 c.

<sup>7</sup> *Qq. disp.*, de *Pot.*, q. IX, a. 7 c.

<sup>8</sup> *Ibid.*, q. III, a. 16 ad 3.—<sup>9</sup> *Ibid.*

<sup>10</sup> *Vid. Multitudo constituitur ex unitatibus*, p. 216.

merus *quantitativus*, qui quidem numerus ponit quoddam *accidens additum supra ens*<sup>1</sup>. Quocirca unitas *quantitativa* opponitur multitudini, seu numero, ut *mensura mensurato*. Unde numerus definitur, *multitudo mensurata per unum*<sup>2</sup>.

Hisce theoriis utitur sanctus Doctor, ut ostendat in *Divinis* non praedicari « unum et multa, quae pertinent ad genus quantitatatis; sed unum, quod convertitur cum ente, et multitudo ei correspondens<sup>3</sup> ».

IV. UNITAS SIMPLICITATIS — COMPOSITIONIS. Si ens est indivisum non modo *actu*, sed *potentia*, dicitur unum unitate *simplicitatis*; et, prout magis, vel minus ad actum accedit, est magis, vel minus simplex unum. Hinc Deus, qui est actus purissimus, maxime unum, simplicissimusque est: « Illud, in quo nulla est compositio partium, nulla dimensionis continuitas, nulla accidentium varietas, nulli inhaerens, summe et vere unum est. Et inde est, quod sua unitas est principium omnis unitatis, quia illud, quod est maximum, est principium in quolibet genere, sicut maxime calidum omnis calidi<sup>4</sup> ». Si vero ens *actu* quidem est indivisum, sed tamen *potentia* est divisibile, dicitur unum unitate *compositionis*; veluti homo, qui unum est, constat tamen ex anima, et corpore. Quia vero ipsum ens compositum non existit, quamdiu componentia sunt divisa, existit vero, cum uniuntur; perspicuum est *esse* cuiuslibet rei in *indivisione* consistere<sup>5</sup>, et unumquodque ita *custodire* unitatem, sicut *custodit* suum *esse*<sup>6</sup>.

V. UNITAS PER SE — PER ACCIDENS. Si ens vel omnis compositionis est *expers*; vel componentia sunt *substantialia*, et se habent, ut actus et potentia, veluti anima et corpus, vel eadem componentia unicam subsistentiam habent, quemadmodum evenit in Christo<sup>7</sup>, ens est unum

<sup>1</sup> I, q. XXX, a. 3 c. — <sup>2</sup> I, q. XI, loc. cit.

<sup>3</sup> De Pot., q. IX, a. 7 c.

<sup>4</sup> In lib. I Sent., Dist. XXIV, q. I, a. 1 sol.

<sup>5</sup> I, q. XI, a. 1 c. « Quae non sunt simplicia, concordia partium imitantur unitatem, et in tantum sunt, in quantum eam assequuntur »; s. Aug. De mor. Man., lib. II, c. 6, n. 8. Et alibi, De vera Relig., c. 34: « Nec corpus ipsum esset, nisi unum esset ».

<sup>6</sup> Vid. p. 57.

<sup>7</sup> Vid. s. Thom., 3, q. II, a. 4 c., et Qq. dispp., q. de Unione Verbi Incarnati, a. 3 c.

per se. Si autem componentia *substantialia* non se habeant ut actus, et potentia, habeantque distinctam existentiam, ut unus acervus lapidum, unus populus, una civitas, unus grex etc.; vel compositio non sit in linea *substantiali*, sicut est compositio ex *subiecto* et *accidentibus*, ens dicitur unum *per accidens*<sup>1</sup>. Unitas *per se* a s. Bonaventura *constitutiva*, unitas *per accidens* *collectiva* nuncupatur<sup>2</sup>.

VI. UNITAS GENERICA — SPECIFICA — NUMERICA. Cum unum significet *ens indivisum*, tot erunt unitates, quot sunt *divisiones*. Iam vero res praecipue dividuntur ad invicem vel *genere*, ut lapis ab homine; vel *specie*, ut leo ab equo; vel *numero*, ut Petrus a Paulo. Igitur tres existunt unitates, quarum illa, quae negat *divisionem generis*, dicitur *generica*; quae negat *divisionem speciei*, dicitur *specifica*; quae negat *divisionem numericam*, dicitur *numerica*, seu *individualis*. Hinc sunt *unum genere* ea quae conveniunt in eadem *ratione generica*. *Specie*, ea quae in eadem *definitione* conveniunt. Ea, quae sunt una *genere*, vel *specie*, dicuntur etiam *formaliter una*, hoc est quoad *essentialem* conceptum. Denique *singularia* quaeque, sive *individua* sunt unum *numero*. Sola *unitas individualis* est *realis* unitas; nam *singularia* tantum in rerum *natura* existunt. Unitates autem *generica*, et *specifica*, nisi eis accedat *unitas individualis*, non sunt *a parte rei* *perfectae* unitates, sed solum *negationes diversitatis*. E. g., *natura Petri* et *Pauli* dicitur una, non quia ponit in utroque eandem *entitatem*, sed tantum quia negat *specificam diversitatem*. Hinc s. Thomas: « Quae sunt *indivisa* respectu alicuius vel generis, vel speciei, ... non dicuntur simpliciter unum; sed unum vel in genere, vel in specie...; et quod est simpliciter *indivisum*, est simpliciter unum, quod est unum numero<sup>3</sup> ».

Porro, illud, quod *unitatem numericam* constituit, seu illud, per quod in eadem *specie* unum ab altero differt, vocatur *principium individuationis*. De hoc principio *questio* valde *implexa* penes *Scholasticos* versatur. Horum di-

<sup>1</sup> Vid. s. Thom., In lib. V Met., lect. VII sqq.

<sup>2</sup> In lib. III Sent., Dist. VI, a. II, q. 2 ad arg.

<sup>3</sup> In lib. I Sent., Dist. XXIV, q. I, a. 1 sol.

versas sententias, diversaque argumenta omittimus <sup>1</sup>, ne ab huius opellae proposito deflectere videamur. Illud tantum innuimus, Thomistas omnes in hanc concurrere sententiam, substantiarum unitatem et multiplicationem numericam repetendam non esse ex forma: siquidem « differentia, quae a forma procedit, inducit diversitatem speciei <sup>2</sup> », sed a materia; atque rursus non ex materia communi et indeterminata, sed a materia *signata* quantitate <sup>3</sup>: hoc est cum ordine ad certas dimensiones, vel clarius ex materia affecta et divisa per quantitatem in diversas partes habentes diversum situm. Itaque forma determinat materiam communem ut sit haec vel illa species <sup>4</sup>; quo sensu dicitur: *Forma dat esse rei* <sup>5</sup>; materia autem *talis*, seu cum ordine ad certas dimensiones, efficit, ut forma individua sit, et incommunicabilis. Exinde haec duo inferunt: 1° Substantiae spirituales, quae ad coniunctionem sui cum corporibus naturaliter destinantur, nempe animae humanae, individuae sunt per ordinem ad corpora, ad quae destinantur; et quia etiam a corporibus separatae, ordinem dicunt ad eadem corpora, etiam separatae, remanent individuae. 2° Substantiae mere spirituales puta Angeli, cum neque in seipsis materiam habeant, neque ad coniunctionem sui cum materia destinantur, sunt seipsis individuae, et singulae differunt specie. Quapropter in qualibet specie Angelorum unus tantum numero Angelus est possibilis; fieri enim non potest, ut sint duae eiusdem speciei formae sine materia, e. g., duae albidines <sup>6</sup>. Cum autem Deus summe simplex sit, et actus purissimus, est seipso maxime unus <sup>7</sup>; sive « Divina Bonitas et Esse individuatur ex ipsa sui puritate, per hoc scilicet, quod ipsa non est recepta in aliquo <sup>8</sup> ».

VII. UNUM—ALIQUID. « Dicitur *aliquid* quasi aliud quid, unde sicut ens dicitur unum, in quantum est individuum in se, ita dicitur aliquid, in quantum est ab aliis divisum <sup>9</sup> ».

VIII. UNUM—UNICUM. *Unicum* dicitur id, praeter quod

<sup>1</sup> Vid. de his Sanseverino, *Elementa seu Institut. Phil. Christ.*, t. II, *Ontol.*, c. III, a. 2, p. 115 sqq. Neapoli 1873-1874.

<sup>2</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 93. — <sup>3</sup> Vid. p. 199.

<sup>4</sup> Vid. p. 129-130. — <sup>5</sup> Vid. p. 142. — <sup>6</sup> I, q. L, a. 4.

<sup>7</sup> I, q. XI, a. 4. — <sup>8</sup> *In lib. De Causis*, lect. IX.

<sup>9</sup> *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. I, a. 1 c.

aliud similis essentiae non datur. Unde patet non omne unum esse *unicum*. Petrus, e. g., unus est homo, sed non *unicus*; plura quippe dantur similis essentiae supposita. Mundus est *unicus*, quamquam possint esse plures: Deus autem est natura absolute *unicus*, quia contradictionem implicat plures esse Deos.

IX. UNIVERSALE—COMMUNE. Universale, inquit s. Thomas, non est idem, quod commune; differunt enim, quia commune *quantum est de se*, non determinat, an id, quod communicatur pluribus, sit idem numero, vel non; sed universale hoc determinat, quia numquam universale est idem numero in pluribus. Quocirca in *Divinis* essentia potest dici communis, non autem universalis <sup>1</sup>. « Essentia universalis non est eadem numero in suis inferioribus, sed secundum rationem tantum. Essentia autem Divina est eadem numero in pluribus personis <sup>2</sup> ».

X. UNIVERSALE COMPLEXUM — INCOMPLEXUM. *Universale complexum* est vel propositio universalis, ut, omne totum est maius sua parte; vel quicquid parit multiplicem conceptum in mente, ut definitio, puta animal ratione praeditum. *Universale incomplexum* est illud, quod unicum in mente parit conceptum, qui tamen recipere potest multa, cuiusmodi est natura humana, quae recipit omnia individua, de quibus praedicari potest.

XI. UNIVERSALE IN CAUSANDO — IN REPRÆSENTANDO — IN SIGNIFICANDO — IN ESSENDO. *Universale in causando* appellatur illud, quod licet sit unum, tamen potest efficere multa. Hoc dicitur etiam *causa universalis*, quae nempe non est determinata ad unum specie effectum producendum, sed varios specie effectus producere potest <sup>3</sup>. *Universale in repræsentando*, quod dicitur etiam *universale ad rem*, est unum multorum formas referens; ut idea artificis plures repræsentans domos; vel « formae rerum in mente Angelica existentes <sup>4</sup> ». *Universale in significando* est vel signum universale, ut omnis, nullus; vel vox multa divisim significans, sive *univoce*, ut vox homo, sive *aquivoce*, ut vox taurus etc. *Universale in essendo*, seu *in praedicando* est unum aptum inesse multis, seu unum a-

<sup>1</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. IV, a. 2 ad 2.

<sup>2</sup> *Ibid.*, *sol.* — <sup>3</sup> Vid. p. 61.

<sup>4</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. III, a. 2 ad 1.

ptum praedicari de multis, puta natura humana. « Universale, inquit B. Alb. M., est quod, cum sit in uno, aptum natum est esse in pluribus. Et per hoc, quod in multis per aptitudinem est, praedicabile est de illis. Et sic universale est, quod de sua aptitudine est in multis, et de multis <sup>1</sup> ». Alii tamen *universale in essendo* ita interpretantur, ut ipsum aliud sit ab *universali in praedicando*. Docent enim illud esse ideam Platoniam, ex cuius participatione singularia essentiam suam mutuari finguntur, ita ut separatim ab iis, in quibus est communis, existat. At falso; nam « quod est commune multis, non est aliud praeter multa, nisi sola ratione, sicut animal non est aliud praeter Socratem, Platonem, et alia animalia, nisi intellectu, qui apprehendit formam expoliatam ab omnibus individuantibus et specificantibus <sup>2</sup> ».

XII. UNIVERSALE METAPHYSICUM — LOGICUM. *Universale metaphysicum*, quod etiam *directum* appellatur, est unum abstractum a multis, seu natura sine individuis considerata. *Universale logicum*, seu *reflexum* est unum respiciens multa, idest unum comparatum ad plura, tamquam superius ad sua inferiora. Unde *universalitas logica* non quidem in abstractione a singularibus *formaliter* consistit, sed in eo quod illa natura abstracta pluribus attribui posse cognoscitur. De *universali metaphysico* loquitur s. Thomas, ubi inquit: « Quod abstrahitur a materia individuali, est universale <sup>3</sup> »; et de *universali logico*, cum passim docet naturam fieri universalem, *per intentionem universalitatis*, quatenus nempe cognoscitur, ut *participabilis ab inferioribus*.

XIII. USUS — ELECTIO — CONSENSUS. Cum voluntas sit vel finis, vel mediorum <sup>4</sup>, tres enumerantur actus illius elicit <sup>5</sup> circa finem, scilicet volitio, intentio, fruitio, qui actus sunt iidem cum amore, desiderio et gaudio. *Gaudium*, seu *fruitio* versatur circa finem obtentum, seu circa bonum praesens; *desiderium*, seu *intentio* circa finem obtinendum, seu circa bonum absens; amor et volitio circa

<sup>1</sup> De Praed., tract. II, c. I.

<sup>2</sup> Contr. Gent., lib. I, c. 26, n. 4.

<sup>3</sup> I, q. LXXXVI, a. 1 c.

<sup>4</sup> Vid. s. Thom., 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. VIII, a. 2.

<sup>5</sup> Quinam sint actus elicit, vid. p. 12\*

finem, et bonum, abstrahendo ab eius absentia, vel praesentia. Quibus ex adverso respondent odium, timor, et tristitia circa malum. Tres item sunt actus voluntatis elicit <sup>6</sup> circa medium, scilicet *electio*, *consensus*, *usus*. *Electio* voluntas praefert, et amplectitur unum medium prae aliis; *consensu* approbat iudicium intellectus circa illud medium; *usu* applicat potentias ad executionem.

XIV. UT QUO — UT QUOD <sup>1</sup>.

XV. UT SIC — ABSOLUTE. 1<sup>o</sup> *Ut sic* res spectari dicitur, quando consideratur sub certo respectu: vel secundum quaedam adiuncta <sup>2</sup>. E. g., praemium essentiale, quod *aurea* dicitur, absolute est maius, quam praemium accidentale, quod dicitur *aureola* <sup>3</sup>; at quia *aureola* non cuilibet datur, sed tantummodo illis, qui sunt in statu perfectionis, ipsa ut *sic*, seu *quantum ad statum habentis* est maior <sup>4</sup>. Ita etiam *actus virtutis elicientis ipsum* iudicatur ex se, seu absolute bonus: ut *sic* autem, nempe ex *adiuncto*, potest esse malus; e. g., si fiat propter pravum finem, ut *dare eleemosynam propter vanitatem*; vel *cum murmure et impatientia*. Quo modo « deformat diabolus actum credendi, quia cum murmure, et impatientia, et displicentia illius, quod credit, movetur in actum illum; et ita credendo peccat, non quia credit, sed quia non eo modo, quo credere debet, credit <sup>5</sup> ». 2<sup>o</sup> Saepe indicat sensum *reducativum*. E. g., homo *ut sic*, seu quatenus homo, est ratione praeditus <sup>6</sup>.

## U

### EFFATA

I. UBI NON EST TOTUM ET PARS, AUT TOTUM SUMITUR, AUT NIHIL. Hoc est: Ens simplex nullam agnoscit realem separationem partium; id quod evidens ex se est. Hinc quidquid de ipso enunciat *a parte rei*, numquam de aliqua

<sup>1</sup> Vid. Quo — Quod, p. 295.

<sup>2</sup> Vid. Absolute — Modaliter, p. 4.

<sup>3</sup> Quid significetur his vocibus, explicatum est p. 22.

<sup>4</sup> Vid. s. Thom., In lib. IV Sent., Dist. VIII, q. I, a. 2, sol. 1 ad 2.

<sup>5</sup> S. Bon., In lib. II Sent., Dist. VII, pars 1, a. 1, q. II ad arg.

<sup>6</sup> Vid. p. 313.

parte intelligi potest. Dicitur a *parte rei*, quia etiam in ente simplicissimo distinctio *rationis* admittitur. Potest etiam hoc effato illud significari, quod simplex aut totum cognoscitur, aut nihil: « Quidditates simplices vel totaliter non attinguntur, et nihil intelligimus de eis, vel cognoscuntur, ut sunt <sup>1</sup> ». Quare « in rebus simplicibus, in quarum diffinitionibus compositio intervenire non potest, non possumus decipi, sed deficimus in totaliter non attingendo <sup>2</sup> ». Seu « in simplicibus. . . quilibet error totaliter excludit cognitionem rei <sup>3</sup> ». E. g., « quicumque errat circa Deum, non cognoscit Deum; sicut qui credit Deum esse corpus, nullo modo cognoscit Deum; sed apprehendit aliquid aliud loco Dei <sup>4</sup> ».

II. UBI TERMINATUR OPERATIO PRIORIS POTENTIAE, IBI INCIPIT OPERATIO SEQUENTIS. E. g., « sensus terminatur ad imaginationem. . . et intellectus in termino imaginationis incipit, quia phantasmata accipit pro obiecto <sup>5</sup> ». Item, « ubi terminatur operatio intellectus, ibi incipit operatio affectus <sup>6</sup> ».

III. UBI UNUM PROPTER ALTERUM, UTROBIQUE UNUM <sup>7</sup>. « Hoc intelligitur, quando illud, propter quod aliquid participat aliquam proprietatem, est tota ratio illius participationis <sup>8</sup> ». Ob hanc rationem Caro Christi unita Divinitati adoranda est adoratione patriae: « Sicut tenere equum et fraenum non est plus, quam equum, sic adorare Deum et carnem non est plus, quam adorare Deum <sup>9</sup> ». Insuper, « hoc verum est, si sit ibi unum propter alterum, quod non queat separari; sed cum separatur, iam non remanet unum <sup>10</sup> ». Ob hanc aliam rationem, « cum Caro Christi numquam est separata a Verbo, ideo semper consideranda est ut coniuncta, et semper adoranda est patriae <sup>11</sup> ». E contrario, etsi proximus dili-

<sup>1</sup> I, q. LVIII, a. 5 c.

<sup>2</sup> *Ibid.*, q. LXXXV, a. 6 c.

<sup>3</sup> *Cont. Gent.*, lib. III, c. 118, n. 3—<sup>4</sup> *Ibid.*

<sup>5</sup> *In lib. III Sent.*, Dist. XXVIII, q. III, a. 1 sol.

<sup>6</sup> *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. X, a. 11 ad 6.—<sup>7</sup> Vid. p. 302.

<sup>8</sup> S. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XL, a. 11, q. 1 ad arg.

<sup>9</sup> *In lib. III Sent.*, Dist. IX, dub. 3.

<sup>10</sup> *In lib. IV Sent.*, Dist. IX, a. I, q. 1 ad arg.

<sup>11</sup> *In lib. III Sent.*, Dist. IX, a. I, q. 1 resol.

gatur propter Deum, tamen potest non esse unus actus, quo diligitur Deus, et proximus; « nam sic potest homo affici circa Deum, quod nihil cogitet de proximo; sic etiam potest affici circa proximum, quod tunc non afficiatur erga Deum <sup>1</sup> ». Denique « differt dicere unum propter alterum, et unum per alterum. Quia ubi est dicere unum per alterum, est ponere duo, quorum alterum est sicut efficiens, alterum sicut instrumentum; et non est verum quod efficiens possit tantum per se, quantum potest cum instrumento. Quod autem dicitur, ubi unum propter alterum, verum est, cum loquitur de unitate obiecti, ubi propter dicit uti causam formalem, ut video colorem, quia lucidum, et amo vinum, quia dulce <sup>2</sup> ».

IV. ULTIMA REI PERFECTIO EST EIUS OPERATIO. Distinguendum est duplex *ultimum* rei: « unum, quod est in re, et aliud, quod est extra rem; sicut in corporibus ultimum in corpore est superficies corporis contenti; ultimum extra est locus, qui est superficies corporis continentis <sup>3</sup> ». Iam « ultimum cuiuslibet rei in seipsa est ipsa rei operatio, propter quam res est <sup>4</sup> ». Nam « unumquodque in tantum perfectum est, in quantum est actu. Manifestum est autem, quod operatio est ultimus actus operantis; unde et actus secundus a Philosopho nominatur. . . Et inde est, quod res unaquaeque dicitur esse propter suam operationem <sup>5</sup> ».

V. ULTIMA PERFECTIO REI EST CONIUNGI SUO PRINCIPIO. Intelligitur de *ultimo quod est extra rem*: « Ultimum cuiuslibet rei extra seipsam est principium, a quo res habet esse ». Et sane, sicut res eo imperfectiores sunt, quo magis a suo principio distant, e. g., corruptibilia sunt imperfecta, propter nimium distare a primo; ita complentur, et firmantur per coniunctionem ad suum principium. Ex quo effato intelligitur Deum habere rationem *ultimi finis perficientis* <sup>6</sup>.

VI. UNIBILE OMNE EST PROPORTIONABILE. Quod a s. Bonaventura explicatur hunc in modum: « Dicendum, quod

<sup>1</sup> *Ibid.*, Dist. XXVII, a. II, q. 3 ad arg.

<sup>2</sup> *In lib. IV Sent.*, Dist. XXVIII, a. I, q. 4 ad arg.

<sup>3</sup> S. Thom., *In lib. IV Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 1, sol. 1 ad 1.

<sup>4</sup> *Ibid.*—<sup>5</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. III, a. 2 c.

<sup>6</sup> *In lib. IV Sent.* loc. cit.

verum est, si intelligatur de proportione, quae attenditur in convenientia ordinis<sup>1</sup>. Si autem intelligatur de proportione, quae est in commensuratione quantitatis, veritatem non habet, pro eo quod si aqua maris infinita esset, adhuc posset spongia immergi, sicut nunc immergetur, et uniri. Et ideo sufficit ad unionem proportio, quae surgit ex convenientia ordinis. Et talis convenientia est inter creaturam rationalem, et Deum, pro eo quod natura rationalis, eo ipso, quod est imago Dei, nata est ordinari ad Ipsum immediate<sup>2</sup> ».

Hinc minime repugnat naturam Divinam in mysterio Incarnationis cum humana uniri, etsi nulla sit inter eas proportio secundum *commensurationem*.

VII. UNITATEM AB EODEM RES DESUMIT, A QUO DESUMIT SUUM ESSE. Siquidem ens et unum convertuntur; quaelibet enim res est una per suam entitatem<sup>3</sup>. Unde ab eodem res habet, ut una sit, a quo habet, ut sit. Et quoniam quaelibet res per formam habet, quod sit ens<sup>4</sup>, per formam quoque habet, quod sit una.

Hinc Vitalistae refutantur, qui plures animas in uno homine admittunt. Equidem homo unus, quemadmodum reipsa est, dici non posset, si plures in eo essent animae<sup>5</sup>.

VIII. UNIUS POTENTIAE UNUS EST ACTUS<sup>6</sup>.

IX. UNIUS REI UNICA EST DEFINITIO<sup>7</sup>.

X. UNIUSCUIUSQUE REI NATURA EX EIUS OPERATIONE OSTENDITUR<sup>8</sup>.

XI. UNIVERSALE AUT NIHIL EST, AUT POSTERIUS EST. Hoc Aristotelis effatum explicandum est, quatenus universalis, licet habeant fundamentum in rebus, tamen actu non existunt, nisi in intellectu, qui vim suam super singularia exercens, notiones universales sibi comparat<sup>9</sup>. Unde universale abstractum a rebus, dicitur esse ipsis *posterius*<sup>10</sup>.

<sup>1</sup> Vid. p. 275. — <sup>2</sup> *In lib. III Sent.*, Dist. I, a. I, q. 1 *ad arg.*

<sup>3</sup> Vid. p. 369. — <sup>4</sup> Vid. p. 142.

<sup>5</sup> Vid. p. 34. Cf. Sanseverino. *Elementa seu Inst. Phil. Christ.*, vol. III, pars 1, c. III, a. 4 sqq, p. 98 sqq. Neapoli 1874.

<sup>6</sup> Vid. *Agens unum, in quantum est unum, non producit, nisi unum*, p. 42.

<sup>7</sup> *Definitiones sunt diversae, si res sint diversae*, p. 101.

<sup>8</sup> Vid. *Modus operandi sequitur modum essendi*, p. 214.

<sup>9</sup> Vid. s. Thom., *passim*.

<sup>10</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. III, a. 2 ad 1.

« Universale. . . habet relationem unius rationis ad omnia inferiora, in quibus est per unam rationem; eo quod ipsum in actu et intellectu uno modo est in omnibus, et hoc modo in intellectu est secundum hoc esse; et nihil est in inferioribus in natura secundum hoc esse; sed est posterius eis, quia non est in eis, nisi quia per intellectum uno modo est in omnibus abstractum<sup>1</sup> ». Illud tamen monere est cum eodem Aquinate, quod nempe, « si sit aliquis intellectus a rebus cognitionem non accipiens, universale ab eo cognitum non erit abstractum a rebus, sed quodammodo ante res praeevens, vel secundum ordinem causae, sicut universales rerum rationes sunt in verbo Dei; vel saltem ordine naturae, sicut universales rerum rationes sunt in intellectu Angelico<sup>2</sup> ».

XII. UNIVERSALE EST PER SE INCORRUPTIBILE<sup>3</sup>.

XIII. UNIVERSALE EST SEMPER ET UBIQUE. Potest aliquid dici esse semper, et ubique, vel quia eius natura expostulat, ut in omni tempore, et loco sit; vel quia eius natura non expostulat, ut in aliquo certo tempore, aut in aliquo certo loco sit, sed ad quodlibet tempus, et ad quemlibet locum indifferens sit. Iam hoc altero sensu dicitur universale esse *semper*, et *ubique*: « Dicendum, quod aliquid esse semper, et ubique, potest intelligi dupliciter. Uno modo, quia habet in se, unde se extendat ad omne tempus, et ad omnem locum; sicut Deo competit esse ubique et semper. Alio modo, quia non habet in se, quo determinetur ad aliquem locum, vel tempus. . . Et per hunc modum quodlibet universale dicitur esse ubique, et semper; in quantum universalis abstrahuntur ab hic et nunc. Sed ex hoc non sequitur ea esse aeterna, nisi in intellectu, si quis sit aeternus<sup>4</sup> ». Hinc, universale « est semper in Intellectu Divino<sup>5</sup> ». Insuper universale « est semper, quia est quodcumque est suum singulare; sicut etiam dicitur esse ubique, quia est ubicumque est suum singulare<sup>6</sup> ». Quo-

<sup>1</sup> Alb. M., *Post.*, lib. I, tract. V, c. 3.

<sup>2</sup> I, q. LV, a. 3 ad 1. Vid. p. 373.

<sup>3</sup> Vid. *per se* — *Per accidens*, p. 255.

<sup>4</sup> I, q. XVI, a. 7 ad 2.

<sup>5</sup> *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. V, a. 9 ad 16.

<sup>6</sup> *Ibid.* Vid. Alb. M., *loc. cit.* c. 7.

niam vero singularia sunt diversa, *universale est ubique, sed non secundum idem esse*<sup>1</sup>; ita ut, quemadmodum subdit s. Bonaventura, « quamvis sit in omnibus singularibus, tamen secundum aliud, et aliud suppositum, et ita numeratum<sup>2</sup> ». Atque, « cum multa loca sint, ubi sua singularia non sunt, nec ibi est universale<sup>3</sup> ».

XIV. UNIVERSALITER REM COGNOSCERE EST PERFECTIUS COGNOSCERE. Istud effatum, secundum s. Thomam, hanc habet sententiam: « Cognoscere aliquid in universali dicitur dupliciter: Uno modo ex parte rei cognitae, ut scilicet cognoscatur universalis natura rei. Et sic cognoscere aliquid in universali est imperfectius; imperfecte enim cognosceret hominem, qui cognosceret de eo solum, quod est animal. Alio modo ex parte medii cognoscendi. Et sic perfectius est cognoscere aliquid in universali; perfectior enim est intellectus, qui per unum universale medium potest singula propria cognoscere, quam qui non potest<sup>4</sup> ».

XV. UNO ABSURDO DATO, SEQUITUR ALTERUM. Quod solet hunc in modum explicari: Modica transgressio principio a veritate discedentibus in fine fit longe decies millies maior. Exemplum esto de iter agente, qui errat in principio itineris; et ideo quo magis pergit, eo magis in errore perseverat. Sic primus error in principiis fit maximus in fine. Hinc s. Thomas: « Ille gravissime ignorat, et periculosissime errat, qui errat circa principia<sup>5</sup> ». Et alibi: « In quolibet genere pessima est principii corruptio, ex quo alia dependent<sup>6</sup> ».

XVI. UNIUS TANTUM EST UNUM PROPRIUM. Evidens est hoc effato non illud significari, in qualibet re unam tantum esse proprietatem: sed potius unum non posse esse stricte proprium duorum specie et natura differentium. Nemo enim *proprium* appellat id, quod potest aliis inesse<sup>7</sup>. Sane, *proprium* essentiam speciei necessario consequitur<sup>8</sup>; atqui essentia non nisi uni tantum speciei convenire potest,

<sup>1</sup> I, q. VIII, a. 4 ad 1.

<sup>2</sup> In lib. I *Sent.*, Dist. XXXVII, a. II, q. 1 *resol.*

<sup>3</sup> S. Thom., *De Pot.*, loc. cit.

<sup>4</sup> I, q. LV, a. 3 ad 2.

<sup>5</sup> *Qq. dispp. de Malo*, q. III, a. 13 c.

<sup>6</sup> 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. CLIV, a. 12 c.

<sup>7</sup> Vid. p. 276.—<sup>8</sup> Vid. p. 8.

quia est illud, quo una species ab alia differt; ergo proprium non nisi uni tantum speciei convenire potest.

XVII. UNUMQUODQUE AGIT, SECUNDUM QUOD EST ACTU<sup>1</sup>.

XVIII. UNUMQUODQUE COGNOSCIBILE EST, SECUNDUM QUOD EST IN ACTU<sup>2</sup>.

XIX. UNUMQUODQUE, DUM EST, NECESSARIO EST. Sermo hic est de necessitate *hypothetica*<sup>3</sup>. Si enim ponatur aliquid esse, necesse est, ut sit, alioquin idem simul esse, et non esse posset.

XX. UNUMQUODQUE EST PROPTER SUAM OPERATIONEM<sup>4</sup>.

XXI. UNUMQUODQUE IMPERFECTUM CAUSATUR A PERFECTO<sup>5</sup>.

XXII. UNUMQUODQUE NATURALITER SUO MODO ESSE DESIDERAT<sup>6</sup>. Ex hoc effato s. Thomas egregie infert substantiae incorruptibilitatem. Eo enim posito, sic arguit: « Desiderium in rebus cognoscentibus sequitur cognitionem. Sensus autem non cognoscit esse, nisi sub hic et nunc; sed intellectus apprehendit esse absolute, et secundum omne tempus. Unde omne habens intellectum naturaliter desiderat esse semper. Naturale autem desiderium non potest esse inane. Omnis igitur intellectualis substantia est incorruptibilis<sup>7</sup> ».

XXIII. UNUMQUODQUE TANTUM HABET DE BONO, QUANTUM HABET DE ESSE. Veritas huius effati profluit ex eo, quod bonum et ens convertuntur<sup>8</sup>.

## V

### DISTINCTIONES

I. VERITAS IN ESSENDO—IN COGNOSCENDO—IN SIGNIFICANDO. *Veritas in essendo* est convenientia rei cum intellectu a quo, tamquam a causa, ipsa res pendet. Hoc sensu res naturales dicuntur *verae*, quatenus conveniunt Intellectui

<sup>1</sup> Vid. p. 40.

<sup>2</sup> Vid. *Nihil cognoscitur, nisi secundum quod est in actu*, p. 233.

<sup>3</sup> Vid. p. 3-4.

<sup>4</sup> Vid. *Ultima perfectio rei est eius operatio*, p. 377.

<sup>5</sup> Vid. *Perfectum est prius imperfecto*, p. 278.

<sup>6</sup> Vid. p. 53.—<sup>7</sup> I, q. LXXV, a. 6 c.—<sup>8</sup> Vid. p. 45.